



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 40/21

DECRETUM

De celebrationibus sancti Gregorii Narecensis, abbatis et Ecclesiae doctoris,
sancti Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiae doctoris,
et sanctae Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiae doctoris,
in Calendario Romano generali inscribendis

Sanctitas cum intellectu coniungitur, qui experientia de Iesu Christi mysterio est, indissolubili nexu Ecclesiae mysterio iuncto. Hoc vinculum inter sanctitatem et intellectum divinarum rerum humanarumque insimul, peculiari modo refulget in iis qui titulo “doctoris Ecclesiae” exornati sunt. Nam sapientia, quae horum virorum harumque mulierum propria est, non ad eos ac eas tantum attinet, quia dum discipuli divinae Sapientiae fiunt, magistri item sapientiae pro cuncta ecclesiali communitate facti sunt. Sub hac luce sancti et sanctae “doctores” in Calendario Romano generali inscribuntur.

Quapropter, recentibus declarationibus tituli doctoris Ecclesiae perpensis, qui sanctis magni momenti Occidentis ac Orientis tributus est, Summus Pontifex FRANCISCUS in Calendarium Romanum generale inseri decrevit subsequentes celebrationes, gradu memoriae ad libitum:

sancti Gregorii Narecensis, abbatis et Ecclesiae doctoris, die 27 mensis Februarii,
sancti Ioannis De Avila, presbyteri et Ecclesiae doctoris, die 10 mensis Maii,
sanctae Hildegardis Bingensis, virginis et Ecclesiae doctoris, die 17 mensis Septembris.

Novae igitur memoriae cunctis Calendariis Librisque liturgicis pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erunt inserendae; textus liturgici adhibendi hoc decreto adnexi, cura Coetuum Episcoporum vertendi, approbandi et post huius Dicasterii confirmationem edendi sunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 25 mensis ianuarii 2021, in festo Conversionis S. Pauli, apostoli.

Robertus Card. Sarah
Præfectus

✠ Arturus Roche
Archiepiscopus a Secretis

